Theologicæ Facultatis Academiæ Franec-
keranæ ſententiam perſpicuè ſcriptam requiratis,
proq; veſtra prudentia, ne vel N. vir, ut no-
bis olim innotuit, doctus, ſed μεταφυσικώτερος
ἢ θεολογικώτερος, vel alii periculoſis novitatibus
ungues, quod dicitur, vulneribus Eccleſiæ, pro dolor, ni-
mis exulceratis, imprudentes adferant, ſed ſana ſalu-
taria et perſpicua cum Orthodoxis Eccleſiis doceant,
provideatis. Deus O. M. veſtræ gubernationi
Spiritu ſuo clementer benedicat: atq; Eccleſias
cum Republica veſtra in fide ſincera et juſtitia
tranquillas florentesq; diu conſervet. Heidel-
bergæ 27. Novembr. julian. 1617.

David Pareus Pro-decanus: nomi-
ne Facultatis Theologicæ A-
cademiæ Heidelbergenſis.

215. Reverendiſſimo Domino
Davidi Pareo: in inclyta Academia Archi-Palati-
nali ſacroſanctæ Theologiæ Doctori ac Pro-
feſſori Primario: Domino, ac in Chri-
ſto Patri mihi obſervandiſſimo.

Reverendiſſime Domine, Pater in Chriſto obſervan-
diſſime. Salutem et filialis obſervantiæ promtiſſimam
commendationem. Rariores à veſtra Reverendiſſima
Dominatione, quam vel mea filialis erga eandem obſer-
vantia, vel paterna ejusdem erga me ſinceritatis officium
requireret, literas recipere, grave mihi admodum moleſtumq;
eſt. Nam cujus conſpectu venerabili, ac diurnâ nocturnâve
converſatione, ob inſignem nominis ipſius et doctrinæ
claritatem, frui ex animo cuperem, quidni per literas,
quæ animorum docta dulcisq; abſentium converſatio eſ-
ſe ſolet, ſingulis ſi liceret, horis, diebus aut menſibus,
alacriter et cum gaudio fruerer? Et niſi locorum diſtan-

tiaṡ hoc amoris et Christianæ Charitatis (quæ reliqua omnia superant) officiis, utrosq nos aliquantulum excusa-ret: vix labem de prætermisso charitatis officio meâ sen-tentiâ vitarem. Una verò, quam verè præterito ex vestrâ Reverendissima Dominatione acceperam, Epistola, cum ad-juncto salutari ejusdem premio, gratissima mihi accidera, ex quibus non tantum paternam erga me Reverendissimæ Dominationis vestræ affectionem: sed ipsum premium manibus dies noctesq terendo, admirabilem ejusdem sapien-tiam, acerrimumq judicium amplecti et exosculari licuit. Nunc pro ea, quam Dei benignitate usurpandam suscepi, consuetudine, ut initio novi anni (quem Deus feliciter vertat!) præsentium allatores Casparem Boytium et Mar-tinum Zulvasium, utrosq mihi de meliore nota ad imbu-enda studia honestiora commendatos, curæ et vigiliæ vestræ Reverendissimæ Dominationi, cum aliis antea trans-missis alumnis meis, eâq fiduciâ committo, ut radiis di-vinæ sapientiæ ipsi attributæ, hos etiam in gloriam Dei et Ecclesiæ emolumentum spargere, et ulterius illuminare nequaquam gravabitur. Per eosdem porrò tabellarios, ut ex itinere castrensi, contra privatos quosdam exfarr. Pontificiorum anulos, susceptum licuit, Munusculum levi-dense, et novi anni (subalicitur) Symbolum novum effigiem ... misi: in quo quidem non muneris quantitas, sed animi sin-ceritas spectetur velim. Deniq cum hac eadem occasione in-termittere nolui, quin duarum triumq verborum literas ad illustrissimum D. D. Electorem Palatinum Heidelbergam literarum ad manus suæ illustr.tis perveniendi, meoq nomine cum prolixa officiorum et obsequiorum meorum commen-datione author sit, etiam atq etiam ab eodem peto. Cum his ad annos plurimos feliciter valere vestram Reverendissi-mam Dominationem ex animo cupio. Datum in arce mea Warad, die decimâ septimâ mensis Januarij Anno Do-mini 1617.

Reverendissimæ Dominationi vestræ filius addictus
Gabriel Bethlen mpp.

Erat

Serenissimo et potentissimo Domino
D. Gabrieli Bethlen, D. G. Principi Transylvaniæ
Gratiam et benedictionem à Domino Servatore
nostro cum humillima servitiorum oblatione.

216.

Serenissime Princeps, Domine clementissime; quoties ver-gente hac meâ ætate de miserabili Ecclesiæ statu, et de